

De verbi britannici futuro et coniunctivo.

Scripsit

H. Ebel.

Ut omnium, quaecunque in disciplinis artibusque praesertim proximis decem lustris sunt inventa et procreata, nihil praestat recenti huic doctrinae grammaticae, cuius fundamentis conditorem ac parentem positis abhinc quinquaginta annos singulariter esse meritum de studiis humanitatis ingens nuper vel discipulorum vel fautorum et admiratorum multitudo uno per orbem terrarum testata est consensu; qua doctrina nova cum tot et tantae res effectae sint, ut quidnam maxime omnium sit mirandum, haud facile diuidices, id nobis quidem summum videtur atque maximum, quod refutatis innumeris etymologorum commentis ac profligatis opinionibus de natura sermonis humani perversissimis isdemque inveteratis tandem aliquando ex iustae artis legibus inquire coepit est in originem verborum et in linguarum indolem: ita universo huic studiorum generi quasi nova quaedam lux affulsit, ex quo vindicatis ab oblivione iniusta aliis linguis multis ad celticas quoque cognoscendas, quas antea ne discere conarentur, deterriti sunt plerique aut difficultate, quae videbatur insuperabilis, aut indigno illo lusu, ad quem, qui aliquam earum habebant notitiam, eadem abutebantur, post miram demum Picteti ac Boppii sagacitatem via patefacta est egregia potissimum illius viri opera, quem laudare nemo potest lepidius quam laudavit Stokes Anglus de isdem litteris ipse optime meritus:

Zεὺς ἀργή, Ζεὺς μέσσα, Διός δ' ἐν πάντα τέτυκται.

Quas linguas ubi ab iis profecti initii, quae tanquam firma scientiae fundamenta continentur hominis Grammatica Celtica, denuo collustrare coepimus luce grammaticae comparativae, tanti non solam ad universam linguarum cognitionem verum etiam ad propria philologorum studia apparuit esse momenti, ut singuli professorum publicorum ope, quae dudum cum germanicis et aricæ quas dicunt litteræ et slavicae adiuvantur, ne amplius careant celticae, vehementer sit optandum. Sed quoniam in his litteris pauci adhuc studium collocaverunt, pauciores ita, ut quae recte tradita essent, quae minus, ipsi indagarent, equidem, qui decem annorum opera in hanc indagationem impensa nunc in ea cura verser, ut immortale illud opus pro virili parte purgem a maculis,

quas aut incuria fudit

aut humana parum cavit natura,

eos, quorum scientia uno illius libri praesidio munitur, rogatos atque monitos volo, dum altera editio in medio ponatur, ne temere iurent in verba magistri, qui quam multa, si per vitae spatium ei liceret, mutatus fuerit, vel ex iis colligi potest, quae in suo ipse exemplari adnotavit. Nuperrime igitur ad plagulas, quibus qui scholae favent ad sollemnem

discipulorum probationem invitari solent, de meo aliquid addere iussus, cum in spatiisiorum commentationem ingredi prohiberet tum temporibus rei publicae, quae omnium bonorum animos sollicitos tenebant ac suspensos inter spem et metum, tum otii angustiis, pauperrimo cuique artissimis finibus circumscripsi, haud ingratum facturus esse videbar hominibus doctis (qui quidem talia curant), si unam rem tetigisset, quam Zeuss cum minus bene proposuisset, ne postea quidem rectius constituit, rationem vel, ut ait ipse, *systema verbi celtici*.

Is enim etsi non nimium erravit terna esse dicens in utroque genere, activo et passivo, verbi celtici tempora, praesens, praeteritum, futurum (quibus addendum erat futurum exactum), recte vero statuit duplia haec esse tempora, utpote primaria et secundaria, differentia et terminationibus personarum et usu, in singula tamen ingressus statim in errores quosdam incidit, qui eum impedierunt, quominus veram coniugationis imaginem exprimeret. Quorum errorum alii non tangunt rationem, sed neglecta formarum varietate continentur, de quibus conferenda sunt, quae in Kuhnii et Schleicheri actis quibus inscribitur Beitraege zur vergleichenden sprachforschung cum Lottner (Vol. II. p. 322 sqq.) tum Stokes (III. 47 sqq.) et nos (III. 257 sqq.) exposuimus; alii etsi ad rationem pertinent, tamen minus late patent, ut cum futurum secundarium indicative quoque adhiberi dicit et latinorum grammaticorum futuro exacto respondere, quorum neutrum verum est, nam illud tempus nec cum indicativi sensu profertur neque aut vi aut forma congruit cum fut. ex., de cuius reliquiis hibernicis, quae virum ingeniosum latuerant, l. c. disseruimus, immo et vi et forma comparandum cum romanarum quas dicunt linguarum futuro imperfecto sive condicionali ab indicativo exclusum semper aut coniunctive aut condicionaliter adhibetur. Sed haec, quae ad hibernicum maxime verbum pertinent, fusius repetere hic omittimus, cum aut leviora sint aut collatis iis, quae supra attigimus, facile corrigantur, ut universe perspicua possit effigi imago coniugationis veterum Hibernorum.

Gravius est, quod aliquot erroribus corrupta sunt, quae praecipit de coniugatione britannica. Ac cornici quidem verbi, de cuius specie ne Norrisii quidem et Stokesii curis assiduis omnem dubitationem sublatam vidimus, non penitus intellectam esse rationem ab eo, qui adiumento praeter Pryci compilationem sine ullo iudicio factam uno uteretur libro pessimae notae, edito et in anglicum sermonem converso carmine de Passione Christi cornico, nemo mirabitur, qui suis oculis inspexerit nequitiam et editionis et interpretationis incredibilem; admirabitur potius ingenium ac sagacitatem hominis, qui ex libello miserrime vitiato et depravato tam multa euncleare potuerit. De cambrica vero coniugatione aliqua minus bene eum docuisse, quae a Daviesio rectius essent exposita, id non mirari equidem non possum, qui Cambri hominis arte inspecta et perfecta non modo multo maiore illum pleraque quam Owenum perspicuitate et constantia tradidisse intellexerim, sed etiam, quae tradiderit, congruere et concordare videam cum iis formis et praecepsis, quae ex fontibus veterum litterarum cambricarum iam ipse adnotavi. Exempli causa memoro praesentis primarii 2. pers. plur., quam in Gramm. Celt. dictum est desinere in -*auch*, -*awch*. At quod unum eius terminationis exemplum affertur ex Mabinogion depromptum, *gwydawch* (scitis), id non praesentis speciem prae se fert, sed praeteriti, qua verbum *sciendi* et hibernice et britannice perinde atque in indica, graeca, germanicis linguis praesens significare constat; nec illa terminatio convenit, quacum ut conveniret, ex omnium celticarum dialectorum indole expectandum erat, cum eadem imperativi persona, quam omnibus exemplis docetur exire in -*uch*, -*wch*. Ita vero et Davies praecipit, qui verbi *caraf* (amo, amabo) 2. pers. plur.

proponit *cerwch* (amatis, amabitis), insignem vocalis infectione, qua concinit cum formis aremorica *queret* vel *kirit* et cornica *kyreugh* (de qua Norrisium falso statuisse infra demonstrabitur), et quae exempla ex codicis rubri Mabinogion adnotavimus, *ny ellwch chwi y dalu* (non potestis vos id pensare; *gallaf*, possum) 3, 197. *ny cheifwch un drwc* (non accipietis quidquam mali; *kaffaf*) 3, 29, eandem formam ostendunt, a qua parum differt *ych: tangneued agawssawch acherenyd agefych* (pacem accepistis, et amicitiam accipietis) 3, 200. Sed is quidem error et facili opera expelli potuit nec multum nocuit, cum ultra hanc formam non pateret, nisi quod fortasse Norris eodem errore deceptus de cornicis formis quae-dam minus recte statuit.

Verum in graviorem multo errorem incidit vir ingeniosissimus, cum agit de futuro britannico, quo errore late grassato cum temporum rationem intellegere ac perspicere prohiberetur, non solum multas formas imprimis verbi substantivi parum recte interpretatus est, sed etiam unam eandemque temporis speciem miro modo laceravit ac disiecit. Cum enim Hiberni pariter ac Latini futurum tam primarium quam secundarium dupli modo forment, aut addita B, quam inter omnes constat ex radice BU residuum esse, aut nulla consona ad radicem adjuncta, producta tamen vocali, ut hae oriantur formae: *carub* (amabo), *carbinn* (amarem), *bér* (feram), *bérinn* (ferrem), similiter hodie quoque; in dialectis britannicis iam inde a vetustissimis temporibus certum quidem nullum extat vestigium futuri aut per B formati aut ulla forma propria signati. Nam ne ea quidem, quae Z. et St. ex glossis Oxoniensibus et ex codice Cantabrigensi deprompta ad antiquam futuri primarii speciem pertinere quamvis ingeniose opinati sunt, ab omni parte munita esse concedendum est; immo altera forma, quam St. attulit, *píoubói*, cum per inferiorem linguae actatem aliud verbum cui respondeat vix inveniatur nisi *pieu*, hod. *piau* (esse alicuius, possidere), quam radicem semper cum verbo substantivo componi constat, de priore quoque *haeboi*, quam superscriptam verbis „excutiendus erit“ (Ovid. art. amat. I. 150) Z. tanquam 2. pers. sing. futuri (excutes) loco imperativi (execute) positam interpretatus est, aliqua tamen movetur dubitatio. Sed ut vera sit venustissima illa interpretatio, certe nec cornicas formas, quas a Prycio traditas (ex Lhuydii archaeologia repetitas) idem affert, nec aremoricas veteri futuri formationi tribuendas, verum nova aliqua cum radice BU compositione ortas esse statim liquebit accuratius insipienti. Duarum enim verbi substantivi radicum, quas potissimum ex ultima vetustate cum ceteris linguis servaverunt celticae, cum altera (AS) instantis temporis vel, ut aiunt Slavicarum linguarum interpretes, verbi imperfecti sensum contineret, altera (BU) notione innata ab illius temporis usu exclusa perfecto et futuro concederetur, primum, id quod diversae utriusque indoli conveniebat, evenit, ut specie praesentis illa praesens tempus notaret, haec futurum, eodem inter cambr. *wyf*, corn. arem. *of* (sum) et inter *bydhaf*, arem. *bezaf* (ero) discriminé, quod inter palaeoslav. *jesmī* et *boñdon* vel inter anglo-sax. *ēom* et *bēo* intercedebat (nec non inter lat. *esse* et *fore*); tum, quae consuetudo solaram britannicarum dialectorum propria est, compositis etsi cum utraque radice, praecipue tamen cum altera non modo praepositionibus sed etiam radicibus factum est, ut ex analogia radicis BU nova haec praesentia composita in futuri usum flecterentur; itaque cambr. *gwn*, corn. *gon* (scio) et cambr. *gwypydaf*, corn. *gothfethaf* (sciam) vel cambr. *atwen* (nosco, novi) et *adnabydaf* (noscam) eadem differentia diunguntur qua *wyf* et *bydraf*. Quae compositio cum etiam latius quam in cambrica, quae certis finibus eam circumscripsit, vagata sit in cornica dialecto, praesertim si impersonalis est constructio, cuius unum carmen P. missis ceteris praebet haec exemplar: *ef a dalvyth* (ipse pensabit) 115, 4. *wy am gwylvyth*

(vos qui me videbit, i. e. videbitis me) 93, 4. *te an prencyth* (tu id redimes) 155, 2. *wy a glewyth* (audietis) 132, 4, quorum numerus, si ceterorum aut temporum aut carminum rationem haberemus, admodum augeretur; quaerenti, quid sit, quod Zeassium induxerit, ut eam prope alienam diceret a cornica et aremorica dialectis, aliud responsum vix dabitur, nisi illum haec aut non intellexisse aut in futuri reliquiis posuisse. Esse autem in his non veterem futuri notam, sed recentiorem, quam statuimus, compositionem patet inde, quod terminatione omnes formae propositae utuntur eadem qua 3. pers. sing. verbi *bydhaf*, quae est *byth*, i. e. vere nulla; nam *th* ex *dh* progressa non terminationis est sed alterius radicis DA, qua adiuncta britannicae dialecti pariter atque linguae slavicae quaedam illius verbi tempora formarunt, in his praesens. Itaque quaecunque formae post *v* vel *f* (ex *b* progressam) alteram illam consonam *dh* vel *th* (a *d* profectam) habent, eae eadem compositione, quam praesens *bydhaf* prae se fert, non veteris futuri reliquias, sed novi praesentis compositi formas se produnt. Quae cum ita sint, ne alias quidem formas singulares, ut cambriacam *ceriff*, quam Davies (qui scribebat a. d. 1621) sua jam memoria pervolgatam loco regularis *car* (amabit) acerrime impugnans „nunquam, inquit, sine indignatione audio“, vel aremoricanam coniunctivi formam *ra garfet* (ut ametis), quae a Dumoulino, pessimae fidei auctore, tradita nec reliquarum personarum analogia adiuvatur neque comprobatur testimoniis ceterorum grammaticorum aut superiorum aut recentiorum, si qua ratione firmantur, aliter concinmatas esse existimamus. Secundarium vero futurum Aremorici, quos solos Britannorum id cum Hibernis consentire putares, ita quidem formaverunt, ut re vera antiquitatis reliquias servavisse videantur; quamquam ut illam quoque speciem inferioris esse originis arbitrer, me movent cum defectus futuri primarii, quod propria carens alienis formis etiam aremorice suppleri patet, tum silentium Manorii Jesuitae, qui in libello a. d. 1659 conscripto bina tantum tempora secundaria simplicia proponit in exemplis: *lennen* (legebam) *lennes lenne lennemp lennech lennent*, et *lensen* (legerem) etc., eadem quae respondent primariis praesenti: *lennán lennes lenn lennomp lennit lennont*, et praeterito: *lennis lensout lennas lensomp lensoch lensont*, tacet de formis, quales a Legonideco accepimus: *kanfenn* (cancerem) etc., quarum ne e Buh. quidem ullum exemplum depromptum in Gramm. Celt. inveni*). Quam obrem non dubitamus quin haec species eiusdem generis sit ac cornica composita ut *a wothfe* (qui sciret) P. 158, 4. *a perfo* (qui paret) O. 2164. Nullum igitur ego in ulla dialecto britannica assequi potui vestigium futuri aut primarii aut secundarii vera et antiqua specie formati, praeter incertum illud unum: *hacboi*.

At variis et diversis modis singulae dialecti id futuri detrimentum suppleverunt. Cambri enim praesentis forma futurum significare consueverunt adeo, ut hodie paucis quibusdam verbis exceptis, quae aut radicum differentia aut compositione nova illud temporum discrimen sive servarunt sive restituerunt, praesentis significatio fieri soleat periphrastica coniugatione: *wyf yn caru* (sum in amando, amo), contra quam in germanicis linguis et slavicis (de qua re conferatur Schleicheri disputatio in Vol. IV. Kuhnii actorum: Zeitschrift für vgl. spr.). Idem fere cum cornice fieri posset, quae dialectus ipsa quoque utriusque temporis significationem una praesentis forma complectetur, tamen non idem evenit; nam cum praesentis specie plerumque praesens, rarius futurum significari soleret, factum est, ut circumlocutione, cuius alias modus erat atque apud Cambros, saepius futurum quam pra-

*) Nisi forte huc pertinet forma *gouzauefz*, quam Z. ut 2. sing. fut. primarii interpretatur, nos secundarii temporis esse statuimus: patereris (patiaris).

sens tempus circumsciberetur: *ny wreugh why tryge* (non facitis vos manere, non manebitis) O. 317. Ab utraque autem dialecto secessit aremorica, quae futurum, cum nunquam aut*) vix unquam praesentis forma significaret, alia via inita supplere studuit, eiusdem formae adiumento usa, qua saepissime in homericis carminibus futuri sententiam reddi vidi-
mus, ut *coniunctivum* in futuri usum converteret. Quo usu latius vagato vel in illis,
quae cum ceteris dialectis communia habebat discreta aliquo formarum discriminē ut *of*,
ouf et *bezaf*, *gon* et *gouzuezaf*, futuri per *coniunctivum* significatio increbruit adeo, ut quod
in Buh. etiamtum sive *bezaf* sive *bizif* dici posset, id iam apud Manorium una forma *bezín*
notaretur. Itaque *coniunctivus* nisi praemissa particula, verbali *ra*, si non est alia, ut *hod.*
ra ganinn (canam) vel ut scribit Man. *ma lennín*** (ut legam), non differt a futuro *kaninn*
vel *lennín*, quae formae vetustiori *ez rentif* (reddam) Buh. 96, 2 respondent. Esse autem
has formas principio *coniunctivi*, ut diximus, non futuri facile patebit comparanti et aremo-
ricas inter se et cum iis formis cambricis, quas nobis forsitan obiciat aliquis negantibus
cambricam esse similem futuri et *coniunctivi* commixtionem.

Ut igitur ab aremoricis initium faciamus, primum cum binae ut in graeca aliis-
que linguis personarum terminations sint in illis: *caraf* (amo), *querez*, *car*, *caromp*,
queret sive *quirit*, *caront*, contra *caren* (amabam), *carez*, *care*, *caremp*, *carech*, *carent*,
quarum discriminē maxime appetit e 1. pers. sing. et 2. plur., liquet in his: *carif*,
cari, *caro*, *carimp*, *carot*, *carint* inesse quidem terminations primarias ut in praesenti, sed
2. pers. sing. tantopere differre, quantopere nunquam in ulla aricae stirpis lingua futuri
speciem a praesenti differre invenias; tum qua vocali per linguarum cognatarum orbem po-
tentiale (opt., coni.) modum signari constat, eadem cum in plerisque huius sive temporis
sive modi formis insit, ne ab illis quidem, quae eam respuere videntur, prorsus aliena est;
nam tertiam pers. sing. in quibusdam verbis non *o*, sed *i* vocali terminari docemur et exem-
plis e Buh. depromptis *groay gray* (faciet), *deuy duy* (veniet) — *rai*, *dui* Dum. — et praec-
cepto Manorii, quaecunque verba infinitivum syllaba -at aut participium syllabis -oët ter-
minent, eorum 3. sing. in -ai aut -oi desinere. Quare cum extra dubitationem ponatur,
coniunctivum praesentis hic servatum esse, tantum abest, ut Zeussio concedamus, 2. pers.
plur. -ot ex -fet contrahi potuisse (cui opinioni id ipsum adversatur, quod illam -fet, si qui-
dem recte se habet, ex -bet prodisse certe scimus) ut in omnibus his formis tam *i* quam *o*
residuum esse coniciamus ex vetustissima *oi*, quae respondeat pristinae potentialis notae *ai*.

Egregie vero aremorica illa concinit cum cambrica sive temporis sive modi specie,
quam Davies hoc exemplo illustravit: *carwyf*, *cerych*, *caro*, *carom*, *carech*, *caront*, additis
ut veterum poëtarum formis 3. sg. *carwy*, pl. *carwynt* *caroent* *caroyn*; quod exemplum,
excepta 2. pl., quam adhuc non inveni nisi in -och exeuntem, munitur ac confirmatur tam
codice rubro quam vetustioribus libris. Quae igitur vocales in aremoricis formis alternant,
eaedem in cambricis non modo alternantes inveniuntur sed etiam *coniunctae*, ut aut ea
diphthongus effecta sit, cuius pristina forma *oi* vel *ui*, posterior et hodierna est *wy*, aut
iuxta posita *i* in *e* mutata intercederit. Ut 1. sg., cuius vetustius exemplum ignoramus,

*) si unum locum e B. citatum tanquam futuri exemplum, quod carmen nondum pervolutare potui, *hoz em quijít* (vos vos invenietis) recte interpretatus est Z., quem opinione, quam de his habebat, inductum sic ver-
tisse suspicor.

**) qua scriptio proprius quidem sonus nasalis circumscribitur, non aliis, ni fallor, ac priore *f*, utpote
idem qui hibernica et scotica *mh*, quae cum candem originem traxerit a vetusta *m*, ab O'Donovan et Stewarto
perhibetur nasale quiddam continere.

iam inde a Mab. semper in *-wys* exiens invenitur; 3. pl., cuius vetustissimum exemplum in mira glossa Luxemburgensi extare videtur: apocant *ómcobloent* (calumnientur invicem), in Legum codice A. cum plerumque in *-oent* etiamtum exiret, tamen in uno eodemque loco iuxta servatam *oe* iam per *o* solam scripta est: *enky kafoent tyr* (donec accipient terram) et *etyr akafont* (terrae quam acceperint) Leg. 1. 5. 12. quae scriptio sola extat in Mab. Sed, ut de formis agere desinam, quae est sententia quive usus huius temporisne dicam an modi? Iam si hanc speciem non modo contenderim principio esse coniunctivi, non futuri, sed etiam unquam futuri vicem supplere negaverim, totum mihi exercitum et Cambrorum grammaticorum et Anglorum cambricae linguae interpretum obstrepitum esse scio, cum ne Davies quidem, qui proxime ad veritatem accessit, optativum vel potentiale vel subiunctivum agnoscens futuro eum tribuere dubitaverit, Norris autem disserens de eadem specie coniugationis cornicae deteritus consensu grammaticorum uno ore futurum id dicentium nec nisi illud dissentientium, primumne esset an exactum, quominus certo nomine rem notaret, quintum id tempus appellare maluerit. Attamen nec iste grammaticorum consensus, ad quem accedit Zeussii auctoritas, nec id me commovet, quod negari non potest latinam interpretationem saepe futuro praesertim exacto uti, ut Davies interpretatus est: *amavero*. Nam primum si est sententia absoluta, vis coniunctivi perspicua est in omnibus exemplis, sive optantis sermo fit, ut frequentissime in Mab. *duw adalo itt* vel *ae talo itt* (deus tibi penset, id penset), *duw arodo da ytt*, *ywch* (deus det bonum tibi, vobis), *henpych gwell* (valeas bene, i. e. salve), sive adnuentis, ut *achyfeisted awnelych yny lle adewissych yn neuad arthur* (et considere facias, considas eo loco quem delegeris in aula Arthuri) 2, 201. ac *enneint ageffoch* (et unguentum sumatis) 1, 25, sive iurantis ut *ny chatwyf vywyneb ot af* (ne servem faciem meam si eo) 1, 243, *nyt ami yn uyw ydaho ef y gernyw* (ne me vivo eat ille ad Cornubiam versus) 2, 245. Tum in sententia subiuncta, quae quidem plerumque pendet ex imperativo vel futuro, saepissime latina interpretatio per coniunctivum fieri aut debet aut potest: *ac mal y crettoch doet un ohonawch* (et ut credatis, veniat unus e vobis) 2, 234. *kymer gret y mackwy na dywetto* (sume fidem a puerō ne dicat) 1, 264. *hawd yw gennysk kaffel hynny kyt tybyckych di na bo hawd* (facile est mihi capere hoc, quamvis opineris tu non esse facile) 2, 222. *keis ath lado ny ladafdi* (quaere qui caedat te, non caedam ego te) 3, 13. *pyderw ytti pryt nat atteppych y neb hediw* (quid accidit tibi, quamobrem non respondeas cuiquam hodie?) 1, 18. *nyth ellyngir di y mywn yny elwyf y dywedut y arthur* (non intromitteris tu donec eam dictum id Arthuro) 2, 202; in quibus autem exemplis Latinorum coniunctivus aut non postulatur aut prohibetur regula sermonis, ut in his: *tra parhawys mi ath gynhalysf athi ath gyuoeth tra allwyf kynnal ymeu vy hun* (quamdiu manebo ego, servabo te et tuum imperium, quamdiu potero servare meum ipsius) 3, 35. *pan glywhont llef dy gorn disgynnent wynteu* (cum audierint sonum cornus tui, descendant ipsi) 3, 23. *taw hyt y mynnych* (tace quamdiu voles) 3, 22. *paarch bynnac aerchyf di ymi hyt y gallwyf y gaffel itti y byd* (quamecumque petitionem petiveris a me, quoad potero, eius acceptio tibi erit) 3, 21, in iis aliae gentes coniunctivi usum statuerunt, cuius in primis Graecorum sermo luculenta praebet exempla: μέγιστης τοι, εἴσεις τὸν σάλαμψιν, εἴσεις τὸν δύναμιν, ὅταν ἀπούσωσιν, ὅτινας τὸν αἰτήσῃς αἰτησιν, nec rara Francogallorum ut in hac sententia: *achymer y march kyntaf awelych* (prends le meilleur cheval que tu voies) 3, 17. Denique nunquam in sententia absoluta has formas vere futuri esse appareret, in subiuncta autem, etsi interdum latine redi possunt per futurum, esse tamen coniunctivi (praesentis, quippe qui solus propria forma notetur) docemur interpretatione

graeca vel francogallica vel germanica, utpote qua Latinorum accusativus cum infinitivo per coniunctivum reddatur; quare latinae instar consecutionis temporum Cambrorum quoque coniunctivus per complures sententias subiunctas continuatur ut in hoc exemplo: *mi awnaf .. nabo.. na gwr na wreic a wypo na bo tidi wyf* (faciam ne sit aut vir aut mulier qui sciat me non esse te; que ce ne soit pas toi que je suis) 3, 10. Sed quoniam plerique omnes grammaticae Cambriae auctores linguam, de qua agebant, praeter latinam cum alia nulla (nisi pravissima comparatione cum hebraica) comparare consueverant, circumspectionis defectu accidit, id quod accidisse nemo mirabitur, ut coniunctivum, cuius vim saepe a futuro proxime abesse nemo negaverit, pro futuro acciperent, praesertim cum saepissime ex futuro vel imperativo pendere sententiam animadvertisserent. Ceterum non semper in sententia subiuncta coniunctivum postulari multis exemplis demonstratur ut: *ony daw yn gyflym nys arhoaf i euo* (nisi veniet citissime, non expectabo ego illum) 1, 242. *o gallaf lles a gwassanaeth idaw mi ae gwraf* (si potero commodum ac servitium, opitulari et servire ei, ego id faciam) 1, 243. et quae Z. p. 697 sq. tradidit cum coniunctione *o*; non semper pendere ex futuro vel imperativo patebit conferenti, quae supra proposuimus: *kyl tybyckych, pryt nat atteppych*. At qui factum est, ut Z., qui eadem solivaga et ieurna latini sermonis comparatione qua Cambri artium scriptores deceptus futuri reliquias illas habere sibi videbatur, separaret formas unius speciei, duas *-wyf* et *-wyf* primario, ceteras secundario futuro tribuens? Nimirum cum intellexisset primae personae terminationem *-wyf* primariam esse sicut praesentis *-af*, deteritus irregulari primae pluralis in praesenti terminatione *-un* cambriae propria, quominus cum illa regularem *-om* coniungeret, cum hanc secundariam temere sumpsisset, omnes, quaecunque *o* vocalis communi vinculo iunctae reperiebantur, ab iis quae *i* (*y*) continebant sciungendas ratus secundariae temporis speciei concessit. Qui error alter, si etiamnunc refutatione opus esset, facilis opera hac re ipsa refelli poterat, quod paucis exceptis, quae ex consecutionis consuetudine exciderunt, semper primarias primariis, secundarias secundariis formis excipi in cambrica dialecto animadvertisimus.

Sed principali illo errore supra diximus multarum formarum explicationem turbatam ac vitiatam esse. Ut primum verbi *bydaf* iuxta compositam praesentis speciem, quae vere indicativi est communis cambriae cum ceteris dialectis, simplicem quoque extare opinatus est vir optime meritus, quam coniungendam cum iis formis, quas ipse futuri secundarii dicit, coniunctivi esse appareat et ex terminationibus personarum: *bwyf, bych, bo, bom, boch, bont* et ex usu harum formarum, eodem omnium ac quem supra demonstravimus; pertinet autem hoc ad omnia verba cum illa radice composita, quae satis frequentia esse commemoravimus, ut *gwypwyf* (sciam), in quibus omnibus cambrica non differt a cornica et aremorica. Tum, quoniam *elwyf* (eam) indicativi esse putabat, fugit eum id verbum cum compositis *delwyf* (veniam) et *gwnelwyf* (faciam) primariis indicativi temporibus carere; nam una quae indicativi videtur forma 3. ps. sg. *el, del, gwnel*, ubicunque eam invenimus, cum coniunctivi sensu usurpatum pro regulari, quam expectares et quam Dav. tradit, forma *elo*, iam inde a Privilegio ecclesiae Landavensis, in quo scriptum extat: *harmefyl har sarhayt har cam har enniuet a guneel breenhin Morcanhuc hay gur hay guas dy escop Teliau hac dy gur hac dy guas* (et ignominia et contumelia et iniuria et damnum, quae intulerit rex Morcantiae et eius homo et eius puer episcopo Telavo et eius homini et eius puero) Lib. Land. p. 113. Denique, quod ad omnia verba pertinet, cum in passivo duae (praeter *-aur, awr*, de qua iudicium facere nondum possum) sint praesentis terminations *-ir* et *-er*, in-

dicativi illa, haec coniunctivi, Z. qui futuri alteram esse putaret, confusionem utriusque factam esse opinatus est; id quod de cambrica dialecto (nam cornice et aremorice coeruleunt in unam -er) minime verum est. Nam in sententia absoluta, nisi causa coniunctivi extat, sive praesens sive futurum significatur, sola -ir invenitur, in subiuncta plerumque -er, quippe in qua saepius coniunctivus postuletur. Itaque cum exemplis, quae supra allata sunt, optime concordant non solum haec ex Mab. deprompta: *pan ganer* (cum canetur, ὅταν συλπίγγεται), *pan ellynger* (cum dimittentur, canes) 2, 9. *hyt pan deler* (donec veniatur) 2, 225. *hyt tra yndgyrcher* (quamdiu visitamur, εἴως ὅτου ἔστιόμεν) 2, 203, vel quae ad imperativum referuntur: *gwneler hynny* (fiat hoc) 2, 22. *na rodher* (ne detur) ibid., sed etiam in Legibus, e quibus propter mixta saepius e et y exempla Z. proferre noluit, eandem differentiam rite observari e sexcentis unus locus sit documentum: *oteyr forth egueneyr saraet yr brenyn: un eu pan torrer ynaud pan roho naud ydyn ay lad* (tribus viis infertur contumelia regi: una est, si frangitur, εἰς φάγη, eius protectio, cum dedit, εἰς δῷ, protectionem, asylum homini et eius caesio, et is caeditur) 1. 2. 2.

Cum cambrica dialecto consentit cornica, quae cum ipsa quoque futurum praesentis specie significaret, servavit propriam vim et usum coniunctivi. Formis tamen quibusdam eam propius ad aremorican accedere patet ex hoc exemplo: *kyryf kyry karo kyryn karough karons*, in quo praeter 3. plur. nihil invenitur quod magis cum cambrica congruat quam cum illa. Ex his pleraeque satis luculentis exemplis e Pass. comprobari possunt; quarum desunt, e ceteris carminibus pono haec: 1. sg. *erna hyndlyf y golon* (donec manu tangam ejus cor, ex angl. *to handle*) R. 1531. *na vyyf lethys* (ne interficiar) D. 1036. *hedre veyf bew yn bysma* (quamdiu ero vivus in mundo hoc) D. 1020; 1. pl. *rak na yllyn the weles* (nam si non poterimus, ut non possimus te videre) R. 2455. *vynytha er na whyllyn* (donec videamus te) R. 2364. At de 2. pers. plur. vehementer dissentio a Norrisio, qui contra quam ego *karough* praes. indic., *kyreugh* coniunctivi formam esse statuit, comparans *del ym kyrreugh* (sicut, si me amatis) O. 543. cum *del ym kerry* (si me amas) O. 2218. R. 1859. 2045. vel *del ym kyrry* O. 537, quam aperte dicit coniunctivi formam esse, cum indicativi 2. sg. in -yth exeat. Cui ut nihilominus refrager, movet me et analogia utriusque dialecti, quae in 2. plur. indicativi vocalem inficiunt: cambr. *cerwch*, arem. *quirit* vel *queret*, in eadem coni. persona integrum relincunt: *caroch*, *carot*, et forma 3. sg. coniunctivi: *may hallo* (ut possit) P. 32, 4. O. 545. 566, aliis exemplis certissimis firmata, quacum discordare 2. pl. credere non possum; denique duo sunt exempla indubia coniunctivi in P. 52, 3. 4. *golyough ha pesough ow zas may hallough mos zy aseth na rezough temtijs* (vigilate et rogate meum patrem, ut possitis ire ad ejus sedem, ne temptemini), quae eam quam supposui vocalium naturam ostendunt. Quare cum oritur dubitatio de coni. praes. et de coni. imperfecti (praesente secundario), eadem ratione cum Norrisio dissensimus, ut *may wrylleugh* (ut faciat, faceretis) D. 811. *na wrellough* (ne faciat) D. 2196.

Ceterum de cornicis formis nihil est quod moneam. Concordant igitur omnes dialecti britannicae hac re, quod vera futuri specie carent; discordat aremorica a ceteris, quae praesentis forma futurum significant, coniunctivi propriam vim servarunt.

